





570.

XXX

16

DEO TER-OPT: TER-MAX: SECUNDANTE  
ET

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, CONSULTIS-  
SIMOq; JCTORUM ORDINE IN ILLUSTRIS  
SALANA CONCEDENTE

Disputationem Juridicam  
DE

1657/14

# INJURIIS VERBALIBUS

2 1/2

SUB PRÆSIDIO  
VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSUL-  
TISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI

DN. GEORGII ADAMI Struven/  
JCTI ET ANTECESSORIS IN HAC ACA-  
DEMIA CELEBERRIMI, CONSILIARII SAX: DI-  
CASTERII PROVINC: SCABINATUSq; ASSESSO-  
RIS GRAVISSIMI, & p. t. FAC: JUR: DECANI, PATRONI  
AC PRÆCEPTORIS SUI ÆTATEM  
COLENDI

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

ad d. Septemb.  
H. Lq; C.

Johann Georg Gastell Franckenbergâ Misn:  
Autor & Resp.

J E N Æ,  
Typis SAMUELIS KREBSII,  
ANNO M DC LVII.



SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS  
AC DOMINI  
DN. JOHANNIS GEORGII II.  
ELECTORIS SAXONIÆ &c.

*Domini mei Clementissimi*

**Camerario**

In Protosynedrio Ecclesiastico

**Præfidi**

ET

Illustrissimæ ac Celsissimæ Elector. Sax. viduæ &c.

*Domine mee Clementissime*

**Consiliario Intimo & aulæ**

Præfesto Gravissimo

V I R O

*Generoso ac Magnifico*

**DNO. HAUBOLD à Miltiz**  
in Scharffenbergk.

*ut &*  
V I R O

*Amplissimo & Consultissimo*

**DN. PHILIPPO Buttner**

Illustrissimæ ac Celsissimæ Elector: Sax: Viduæ &c.

*Domine mee Clementissime*

Redituum & Camera Præfesto, ejusdemque Secretario  
Intimo.

Domini, Patronis, ac Evergetis meis  
Optimis, maximis

Exercitium hoc Academicum sacrum esse  
volo

Autor & Resp.

338



CUM DEO!

*Thef. 1.*

**I**njuria vox ex eo dicta est quod non jure fiat, unde in *l. 1. ff. de Injuriis & fam: libell:* Iniquitas & injustitia Judicis, quando Judex injustam fert sententiam, injuria appellatur. Item damnum culpâ datum, prout sumitur *in ff. ad L. Aquiliam* & præsertim *in l. 3. si servus*, ubi expressè ponitur, quod non sufficiat occisum esse, sed injuriâ id factum esse oporteat, injuriæ nomine venit *l. cit. ff. b. tit.* Et hæc ratione sumitur latè. Strictè verò quando sumitur denotat contumeliam, à contemnendo dictam. *l. cit.* quæ infertur vel corpori, & *in l. cit.* injuria realis audit, de quâ nobis sermo jam non est, vel famæ alicujus, & § *1. f. b. t.* vel verbis vel scriptis, *in l. verò cit.* quæ vocabulo verbis tanquam generaliori utitur, verbis committi dicitur. Quâ de causâ injuriam hanc nostram quæ verbis committitur, vel verbis dictis seu vivis, quam citatus §. *in Inst.* injuriam quæ verbis editur nominat, vel verbis scriptis seu mortuis, ut loqui solent, quam §. *ille* injuriam quæ scriptis editur insignit, committi dicimus.

*Thef. 2.*

Injuria igitur hæc, quam nos cum *Gailio 2. Observ. 104. Bredero* *Anal. Inst. b. tit. ex l. cit. cumq; alius* JCtus generaliter verbalem appellamus est Maleficium, quo aliquis ex dolo malo bonam famam alicujus vel literis vel verbis lædit. Ipsum genus est ex §. *1. f. de Oblig.*

A 2

que

*qua ex del. nasc.* Differentia colligitur ex *textu J. jam cit.* Finis injuriæ est ipsa intentio lædendi famam alicujus. Adjicitur autem in definitione dolo malo, quia ubi abest dolus, actio injuriarum locum non habet; animus enim & intentio injuriantis semper attendenda est *l. 3. C. de Off. Rect. prov.* Unde non malè illud etiam in quibusdam, præsertim sequentibus casibus procedit.

1. Quando injurians id ex maximâ ebrietate facit, quæ tamen tanta debet esse, ut nec pedes nec manus suo munere fungantur, uti vult *Nobilissimus Dn. Hahn ad Wesemb. de Injur. n. 4.* & in tali casu, dicit ulterius, planè excusatur sive injuriæ sint graviores sive leviores, præsertim quando non est ebriosus sed saltim absque proposito inebriatus est. Tunc enim ebrietas excludit omnem consensum & voluntatem, malefica verò voluntas & propositum delinquentis distinguit. *l. 53. ff. de furtis.*

2. Quando quis in ipso nimio & ex justis causis orto iræ motu aliquem injuriâ afficit, quod probatur per consequentiam *ex l. 4. C. ad L. Jul. de Adult.*: quæ dicit, quod maritus, qui virum cum Uxore sua in adulterio deprehensum præ nimio dolore interficit, non statim homicidii poenâ ordinariâ *ex l. Corn. de sicar.* teneatur. Nunc verò, si ille qui ex justo iræ fervore hominem occidit poenâ ordinariâ non afficitur, multò magis ille, qui injurias saltim ex ejusmodi commotione effundit excusandus erit. Notandum tamen, quod prædictorum nullum abesse debeat. sc. 1. Justa irascendi causa, alias enim non erit excusandus, quod probatur *per l. si non convicii C. de Injur.* ubi dicitur, quod si ex inconsulto iracundiæ calore alicui convicium homicidii objeceris, cumque annus ex eo die excefferit injuriarum conveniri non poteris, ex quibus colligitur (1.) quod detur actio scilicet adhuc

adhuc intra anni spacium, quia alias lex esset frustranea, si planè non daretur. (2.) Quod, ut detur, adesse debeat inconsultus iræ calor, quæ verba excludunt justam irascendi causam, quia alias, si daretur actio sive talis calor inconsultò sive præcedente justa causa ortus fuerit, non opus fuisset ut Imperator verbum *inconsulto* apposuisset. 2. Ipse actus iræ adhuc durans, quia alias animo doloso id factum esse præsumitur.

*Thef. 3.*

Patitur autem aliquis injuriam vel immediatè per semetipsum & in propria persona, veluti quando aliquis injurià afficitur nullà intercedente alià personà quæ patitur injuriam. Vel mediatè intercedente tali personà, quæ patitur, quâ mediante deinde ipsi facta esse dicitur. Veluti quando injuriam patitur 1. Maritus per uxorem, unde etiam ipsi datur actio contra injuriantem. *l. 1. §. 3. ff. h. tit.* Quod etiam ad sponsam extendi potest, quæcunque enim injuria sponsæ fit spectat ad sponsi contumeliam *l. 15. §. 24. ff. h. tit.* 2. Dominus per servum, quod tamen, ut domino exinde detur actio, ita apud nos, inter quos nulla dantur mancipia, procedit, si sc. talis persona in contumeliam Domini injuriosè tractata fuerit, quod ibi præsertim præsumitur factum esse, si talis persona eo tempore negocia Domini gesserit. *Schneidew. Inst. h. t. §. servis & cum eo Schulzius in Synops. Inst. tit. h. hoc tit.* Idem etiam obtinet *per text. in Land. R. libr. 2. art. 34.* ubi disponitur ut inferens injuriam famulo alterius, tam domino quàm servo teneatur; nisi suo jramento confirmet se in Domini contumeliam id non fecisse: tunc enim soli famulo tenetur. *Imò Schneidew. l. cit. §. quod si ususfructus n. 4. Schulz. loc. cit. & Wesemb. in parat. h. tit. n. 6.* etiam in specialibus casibus illud ad

vasallum & deinde etiam ad subditum extendunt, cum sc: constat injuriantem aliàs non fecisse, nisi injuriatus fuisset subditus vel vasallus istius domini. *Wesembecium* quidem illud ulterius extendere, videtur, quando dicit, quod, si subditus ita injurià affectus fuerit, ut dominus ejus operà commodè uti non possit, & hàc ratione ipsi interessè suum detrahatur, domino etiam detur actio. Sed *Bacchovius* illum in *notis lit. n.* rectè explicat, dicit enim, *Wesembecium* affirmare Domino dari actionem, sed non statim dicere dari actionem injuriarum. 3. Pater per filium & filiam, quia Parens magis terretur per dehonestationem liberorum quàm sui ipsius *l. 8. §. fin. ff. quod met. caus. gestum est.* Ut tamen patri ex inde detur actio necesse est. 1. Ut filius vel filia adhuc sit in patrià potestate, §. 2. *§. hic.* 2. Ut injurians sciat esse filium familias *l. 18. §. 4. ff. de injur: licet nesciat* cujus, quod & in Uxore procedit, cuicumque enim Patri cuicumque marito per filium per Uxorem vult facere injuriam. *per text. express. l. 18. §. ult. ff. hic.*

*Thef. 4.*

Quemadmodum autem patitur aliquis injuriam, intervenientibus aliis personis, ita etiam potest aliquis injuriam facere mediantibus aliis personis, unde non solum is tenetur, qui re ipsà facit injuriam, sed etiam qui curavit ut injuria fieret *Wesemb. parat. b. tit. n. 5. ex §. n. §. hic It Ex l. 12. pr. & §. 4. ff. hoc tit.* Quia tot sunt injuriæ quot personæ qui injuriam faciunt *l. 34. in f. ff. hoc tit.* Imò nec filium hoc casu jussum patris perfectè excusat ut non detur actio æquè contra filium ac contra patrem. *in l. cit. §. 5.* Mitio rem tamen pœnam ob jussum Patris filio decerni non negamus cum *Bacch. ad Wesemb. lit. b. b. tit.*

*Thef. 5.*



*Thef. 5.*

Omnis porrò injuria verbalis est aut levis aut atrox, quod benè vel ex loco, vel personà vel ex aliis denique circumstantiis æstimandum est. §. 9. *J. hoc tit.* 1. Quidem ex loco, si injuria inferitur alicui ubi est frequentia hominum vel in conspectu Judicis. 2. Ex personà, si aliquis parentes vel magistratum injurià afficit. Unde non ineptè hæc quæstio moveri possit. An sc. Judex injurias in officio sibi illatas ipse punire possit? Et Affirmamus cum *Gailo 1. Obs. 39.* quem. *Nobilissimus Dn. Habn ad Wesemb. hic n. 7.* sequitur, additâ tamen *ex loc. cit. Gaili* hæc limitatione, nempe si injurià est notoria. Aliud est si injuria ut privato illata, nisi fortè poena nota, ita, ut Judex magis exequi, quam judicare seu sententiam ferre videatur, unde facillè responderi poterit ad obj: *ex l. 10. ff. de Jurisdic:* quod nemo in propriâ causa possit judicare, aliud enim est sententiam ferre seu judicare, aliud est sententiam jam prolatam seu judicatum exequi. Quâ de causâ etiam expressè excipio (quod præcipuè in territoriis Elect: Sax: procedere videtur per *Nov. Const. 42. part. 4.* Ubi ordinaria æstimatio injuriarum, quæ est 30. Solidorum, sublata est, & quantitas quâ æstimantur injuriæ arbitrio Judicis relicta est.) Judicem propriâ autoritate injurias æstimare & à Reo extorquere non posse, quia illa æstimatio etiam de jure civili *l. 37. ff. b. tit. auff Nichterliche Ermäßigung* fundata est, nunc verò si Judex injuriatus ipse hoc faceret in propriâ causa sententiam ferret, quod esset expressè contra *l. cit.* cui etiam consentit *cit. Gail. loc. cit.* Interim tamen non nego quod Judex injuriatus æstimationem illam injuriarum possit extorquere, si sc. prius facta erit moderatio à superiori Judice.

Possit



Possit etiam addi quod atrocitas interdum appareat ex ipsa injuriæ natura, longe enim atrocior injuria est quando aliquis vocatur sacrilegus quàm si vocaretur claudus.

*Thef. 6.*

In propatulo etiam est, quod injurians, licet injuriæ sint veræ & probari ab injuriante possint nihilominus injuriarum teneatur, secundum *Gailium 2. Obs. 99. Trentl. disp. 30. th. 5. tit. g.* & alios plures, præsertim si de dolo constat, animus enim & intentio injuriantis attendenda est *l. 3. C. de offic. Recl. provinc.* Unde si vel Reip. interest ut manifestetur crimen (addita tamen hac cautela, ut sc. dolus etiam absit, aliàs nihilominus conveniri poterit injurians *Mynsng. Cent. 4. Obs. 4. Trentl. loc. cit. Suthold. dissert. 16. §. 58. Nobilissimus, Amplissimus, & Excellentissimus Dn. D. Struvius Præceptor meus omni observantia cultu prosequendus in Exercit. suis Exerc. 30. thef. 20. Bacchor. ad Wesemb. hic n. 9.* qui etiam Exemplum adducit injuriantis qui componit pasquillum & accusat aliquem alicujus delicti, quod 1. verum 2. Ejus propalatio Reipubl. utilis est, illum sc. nihilominus teneri, quia delus attenditur.) Vel si ad sui defensionem id fecerit, non tenebitur, E.g. Cum quis excipit contra testem infamem, vel contra Judicem suspectum, si in legitima defensione modum non excedit injuriarum, non tenetur, nisi animus injuriandi ab adversario probetur. *Wesemb. loc. cit. n. 9. Nobilissimus Dn. Carpz. def. for. part. 4. Const. 42. def. 7. & 8.*

Imò si in aliis etiam casibus præsumptio quædam pro Reo adest illum non doloso animo fecisse, præsumptiones enim cujusque animum dolosum & non dolosum declarare possunt *l. 16. §. 2. ff. de penis*, sæpius reo juramentum  
purga-

purgationis imponi potest, cum innocentia ista tantum in animo consistat: ideo per animum erit explicanda, quod omnino optimè juramento fieri potest, notante *Nob. Dn. Carpz. loc. cit. def. 9. n. 3. & seqq. Gail. 2. Obs. 106. it. Obs. 48. n. 24.*

*Thes. 7.*

Dictum est in antecedente thesi, quod excipiens contra testem infamen non injuriarum teneatur, nunc adhuc scrupulus adest, an scilicet ille qui excipit contra testem tanquam infamem, qui tamen talis non est, injuriarum conveniri possit? Et cum *Gail. 2. Obs. 101. n. 6. it. 7.* cumque aliis affirmativam amplectendam esse dicimus, *ex l. 1. C. de Advoc. divers. Judicio.* Præsertim si aliqua adest præsumptio contra excipientem, illum dolo fecisse, quod maximè fieri videtur, si excipiens id ipse ex cogitavit, neque habet ex rumore publico, neque autorem à quo auditur potest adducere, tali enim ratione (cum scilicet autorem à quo auditur potest adducere) contra excipientem, licet ejusmodi exceptio per se non constet, injuriarum agi non posse arbitramur, quia tantum ad sui defensionem & jus suum prosequendum rursus profert quod ab aliis auditur, unde & omnis dolus abesse præsumitur, sine quo injuriarum nemo tenetur. Quanquam aliàs constat injuriantem nihil juvare licet ab aliis audiverit injurias. *Nobilissimus Dn. Carpz. part. 4. Const. 42. def. 5. & Schneidew. hic §. injuria n. 6. Wehrmann haben hilffe nichts/* si scilicet illegitimo modo sive cum dolo propalatum fuerit. Neque obstat *l. 12. §. 3. ff. de liberali causa.* Quia 1. Non credulitas sed propalandi dolus attenditur, & 2. Si injurias, quas veras esse certò constat cum dolo divulgare licitum non est, quod patet *ex præced. thes.* multo minus illas, quas veras esse nondum certum est cum dolo propalare permissum erit.

B

*Thes. 8.*

*Thef. 8.*

Cum autem in præcedentibus dolum requiramus, merito aliquis interroget, quid sit respondendum si de eo dubitetur, Actore forte affirmante reo verò negante dolum? Et Respondemus secundum *DD. comm. cum Antonio Matthæi de crimin. tit. de injur. n. 9. Treutl. disp. 30. thef. 5. lit. b. & aliis.* Quod ea, quæ suâ natura, probrosa sunt, cum alicui obijciuntur, in casu dubio, injuriandi animo facta esse præsumantur; onusque probandi incumbat reo, quæ sententia firmatur per *l. si non convicii C. de Injur.* ubi cum Victorinus assereret se non animo conviciandi homicidium adversario objecisse, Imperatores eum ita absolvendum esse censuerunt, si fidem Judici fecisset, quam verò probationem nihil adjuvat protestatio illa vulgata, E. g. Salvo honore tuo latro es &c. dicunt enim *DD.* protestationem facta dictove contrariam nihil operari sed inutilem esse, de quibus vide latè *Gail. 2. Observ. 101. Bacchov. ad Wesembec. hic lit. q.*

*Thef. 9.*

Quia non immerito inter atrociores injurias referri potest hæc, quando sc. gloriatur aliquis se rem habuisse cum foemina quâdam, nec tamen ejus rei fidem facere potest, igitur operæ precium existimamus pauca quâdam de tali casu disserere. Sciendum itaque quod de jure communi talis inanis jactator ex arbitrio Judicis pro delicti & circumstantiarum qualitate puniendus sit, secundum *Schulz. in Syn. Inst. b. t. lit. b.* Quam sententiam etiam confirmavit *Serenissimus ac Potentissimus Elector Augustus B. M. in Nov. Const. part. 4. Const. 45.* cui etiam addit, quod ultra hanc poenam arbitratiam, quæ vel incarceration, vel relegatio interdum

Am cum fustigatione conjuncta, prout meminit *Dn. Carpz.* pronunciatum fuisse dict. *const. def. 2.* & ad palinodiam teneatur talis diffamator, per verba expressa *d. const.*  
 So ordnen und setzen wir / daß ein solcher Verbrecher nebenst den Wiederruff / so er dem Parth thun sol / mit willkühlicher Straff zc. nach Gelegenheit der Umstände belegt und bestrafft werden soll. Hanc verò sententiam etiam vice versà procedere non iniquum putamus cum *Dn. Carpz. d. Const. def. 3.* quando sc. mulier adversus virum ejusmodi diffamationem profert, ob rationis identitatem.

Aliter 1. sentiendum, si diffamator illud perfectè probare poterit, cum supra dicta pœna locum non habeat, quia expressè dicit hæc constitutio nostra. Und können doch derowegen keine gewisse Nachricht thun. Nihilominus tamen pro circumstantiarum qualitate (si non ideò propalavit concubitum, ut illam fœminam, eò facilius possit in uxorem ducere, quia aliàs forsitan non permitterent parentes vel consanguinei, sed tantum ut illi fœminæ maculam faceret) injuriarum teneatur talis diffamator, licet probet concubitum; Ex ratione *Thef. 6.* quia non tam veritas injuriæ quàm absentia doli excusat.

Si verò 2. adest conjecturata probatio *Dn. Carpz.* sentit *loc. cit.* palinodiam commutandam esse in deprecationem, quia difficile certè est talem concubitum, testibus probare. Imò hæc nostra constitutio fermè in hanc partem inclinât, quando dicit: Neque ullam ejus rei fidem facere possunt, ubi verba NEQUE ULLAM procul dubio excludunt conjecturatam probationem, quâ diffamator aliqualem fidem facere potest. Pro quâ



sententiã etiam pronunciatum meminit *cit. Dn. Carpz.*  
*p. 4. consl. 45. def. 5.*

*Tbef. 10.*

Missã hãc thesi antequam ad ipsã injuriarum  
actionem perveniatur, quæstionem illam, an in actione  
injuriarum ex parte rei conventi admittatur procura-  
tor? paululum considerabimus. In primã verò statim  
fronte distinguendum est inter actionem injuriarum  
criminales & civilem, in actione injuriarum civili se-  
cundum *Emer: à Rosbach in praxi Civ. tit. 19. n. 11. Et*  
*alios plures* ex parte rei procuratorem intervenire posse  
nemo forsitan erit qui neget. An verò illud etiam in  
criminali injuriarum actione procedere possit, dubitare  
quis possit. Nos cum *Gail: de pac. publ. lib. 1. tit. 20. n. 1.*  
*Dn. Carpz. d. Consl. def. 3. n. 6. Wesemb. hic n. 5. Et in*  
*supplem. ad Schneidew. §. in summa n. 12. lit. g. hoc tit. di-*  
cimus, quod, ubi injuria pœnam corporalem afflictivam  
meretur, non admittatur, ne aliã sententiã esset  
frustraneã, quia contra procuratorem non posset exe-  
qui, qui innocens est, neque contra reum, qui absens  
est, & vix rediturus ut fustigationem vel etiam gravio-  
rem pœnam patiatur. Intelligenda tamen hæc sunt,  
i. De Reo absente non incarcerato, quia cessat ratio  
predictæ negationis: sententiã enim hãc ratione non  
erit frustraneã. Et licet quis dicat ex *l. 46. §. 2. It. l. 3. pr.*  
*ff. de Procur:* quod sententiã feratur contra procura-  
torem, igitur ejus executio non possit fieri in principalem  
procuratoris. Non tamen sequitur, quia sententiã  
sãltim physicè contra procuratorem fertur non mora-  
liter & virtualiter (*l. furti 6. §. 2. ff. de his qui notantur*  
*infam.*) sed eã ratione contra mandatarem directã est,  
quod etiam patet ex ipsã mandati procuratorii, quam  
tradunt

543  
tradunt *Term. proc. Jur. scripti cap. 44 Emer. à Rossbach*  
*loc. cit. tit. 20. n. 54.* formulā, in verbis *gerede und vers*  
*spreche auch bey meiner Trewen und Glauben solches alles*  
*stätt/ fest und unverbrüchlich auch den obbenanten meinen*  
*Anwald des Rechtes allerdingß Schadloß zuhalten / und*  
*sonderlich des Lastes / so man nennet zu Latein de satis-*  
*dando & judicio fisti, & judicatum solvi, entheben wie*  
*recht und Gewohnheit ist.*

2. De Reo, qui est persona non illustris, quia Il-  
lustres personæ causam injuriarum criminalem per pro-  
curatorem suscipere possunt, secundum *Gail. de pac. publ.*  
*libr. 1. tit. 10. n. 12. Dn. Hahn ad Wesemb. b. tit. n. 16. Ex l.*  
*fin. C. de Injur. It. §. 10. J. hoc tit.*

3. De Reo absente qui effudit injuriam quæ mere-  
tur pœnam corporis afflictivam, aliàs enim si saltim,  
relegationem meretur procul dubio procurator inter-  
venire poterit, licet dissentiat *Bacch. ad Wesemb. lit. ce.*  
Quia hoc casu nihil impedit absentia rei, quo minus  
sententia exequi possit, consensit enim in ipso mandato  
Procuratoris se ratihabiturum quicquid agente procura-  
tore judicatur fuit: poterit igitur non incommodè absens  
relegari cùm volenti non fiat injuria.

*Thef. II.*

Ex omni autem injuria verbali præsertim dicta-  
potest agi vel civiliter vel criminaliter. Civiliter qui-  
dem quando agitur vel ad æstimationem injuriarum,  
vel ad palinodiam. Ad æstimationem agitur quando  
in libello injuriæ æstimantur & injuriatus illam quanti-  
tatem, quæ ratione circumstantiarum prout ipsa injuria  
vel crescit vel minuitur *l. 15. §. 28. ff. b. tit. It. §. 7. I. b.*  
*tit. sibi applicari petit, salvâ tamen moderatione Judicis*  
*l. 37. ff. b. tit. §. 7. I. b. tit.* Jam verò quæstio quadam-

B 3

moveri

moveri possit, de formulâ petendî æstimationem. An  
sc. injuriatus debeat sese referre ad damnum, ut dicat,  
se maluisse 100. flor. de bonis suis perdere, quàm ejus-  
modi injuriam pati, an verò ad lucrum, ut dicat se nolle  
accipere 100. & ejusmodi injuriam pati? Et respondet  
*Joh. Schneidew. l. h. tit. §. 7. n. 6. & cum eo Ant. Matthæi*  
*loc. cit. cap. 3. n. 3.* Indifferenter procedere sive ad dam-  
num sive ad lucrum fiat relatio, imò de rigore juris  
etiam libellum, in quo simpliciter Actor injurias æsti-  
mat (dicendo se passum esse talem injuriam, quam tan-  
ti æstimet, petendo reum in istam quantitatem adhibi-  
tâ moderatione Judicis condemnari) absque ullâ luci  
vel damni facta mentione procedere dicit uterque;  
Notandum etiam quòd de Jure communi actor istam  
æstimationem interposito juramento confirmare debeat,  
quæritur igitur an illud juramentum sequi debeat mode-  
rationem Judicis an verò præcedere? Et dicimus cum  
*Ant. Matthæi loc. cit. n. 4. cum Gail. 2. obs. 102. n. 9. &*  
*seqq. & Dn. Habn loc. cit. n. 14.* quod juramentum sequi  
debeat moderationem Judicis ex *l. si quando C. unde vi.*  
Ubi Imperator Zeno rescripsit, taxatione à Judice factâ  
æstimationem juramento manifestari debere, nec licere  
actori ultra taxationem à Judice factam jurare. Et hæc  
de Jure Comm. Secus de Jure Sax. eo siquidem jure,  
certa quantitas expressâ & statuta est per text. in *Land N.*  
*lib. 3. Art. 45. vers. Denen Schöpffenbaaren Leuten*  
*giebt man dreyßig Schilling zur Bussse / & rursus ante*  
*med. vers. denen Bauerzölden und denen die da Pffeg*  
*hafften heissen &c. denen gibt man 15. Schilling zur Bussse.*  
& per consequens juramento non opus erit. De jure  
tamen Electorali novo hæc expressa æstimatio sublata  
est per *Const. part. 4. vers. Niß wollen wir demnach die*  
Buss



Verordnung und Satzung des Sächsischen Rechts in  
injuriis Sachen aufgehoben abrogiret und abgethan  
haben &c. Per conseq: igitur hæc æstimatio modera-  
tionis Judicis quoque relinquenda erit.

*Thef. 12.*

Ad palinodiam quando agitur quod agatur civi-  
liter nemo forte negabit, plurimi siquidem Jcti eam,  
ipsam sententiam amplectuntur, inter quos est *Wesemb.*  
*loc. cit. n. 18. Bacch. ad eundem lit. g. Dn. Carpz. part. 4.*  
*const. 42. def. 2. Mynsing: cent. 2. obs. 98. Treutl. Disp. 30.*  
*thes. ult. lit. a. & alii plures.* Neque procedit objectio,  
quam habet Gailius 1. Obs. 65. Marantæ assentiens, quod  
sc. infamet interdum recantatorem: Respondetur enim  
cum *Mynsing. loc. cit.* quod non sequatur ideò esse  
criminales quia interdum infamat, siquidem & actio-  
nes civiles interdum præsertim ex contractu sunt famo-  
sæ, nec tamen propterea criminales, imò de jure Saxon:  
nulla actio dicitur criminalis nisi quæ ad pœnam cor-  
poris (*auff Haut und Haar*) dirigitur. Obstat etiam,  
quod, si criminalis esset, non possit cumulari cum actio-  
ne injuriarum criminali, quæ agitur ad pœnam, quanti  
Judex, si pecuniaria, fisco applicat, vel si corporalis cor-  
pori delinquentis infert, duas enim actiones crimina-  
les ex uno delicto dari posse contra injuriantem quis  
probabit? Notandum tamen, quod hoc loco per actio-  
nem civilem, non intelligamus talem, quæ in jure no-  
stro Civili Justin: fundata est, sed talem, quæ non est  
criminalis

Superest adhuc quæstio illa trita & sæpius apud  
Jctos controversa: An sc. injuriatus possit simul agere  
ad palinodiam & æstimationem injuriarum an verò non?  
Quidam negant, quidam affirmant. A parte quidem  
negant

negantium hæc inter alia proferunt argumenta 1. Quia bona fides non patitur, ut bis idem exigatur *l. 57. ff. de R. J.* Nunc verò qui agit ad palinodiam & æstimationem injuriarum, idem est ac si peteret equi ablati restitutionem & ejus æstimationem simul. 2. Quia de hæc emulatione in lege nihil cavetur. Et quæ sunt alia, quæ brevitatis gratiâ apponere non lubet. A parte verò negantium hæc sunt 1. Quia de Jure Sax. absurdum haud habetur reum simul ad pœnam Judici & multam parti offensæ exsolvendam ac insuper ad restitutionem rei ablatæ condemnari *Zobel. in art. 16. lib. 2. LandR.* 2. Quia cumulatio actionis injuriarum cum actione ex *L. Aquilia*, prohibita non est. *l. qui servum in pr. ff. de oblig. & action.* Et quæ sunt alia, quæ L. B. hinc inde potest colligere. Sed quia non solum inter hodiernos magni nominis Jctos verum etiam inter totas Facultates Juridicas, Curias provinciales & Scabinatus ingens pugna est, meæ tenuitatis non erit uni parti assentire & alteram rejicere, & proinde hanc controversiam meam facere nolo. Sciendum tamen quod hodie in Provinciis ubi jus Electorale Sax: observatur per singulare rescriptum *Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Dn. Dn. Job. Georgii Primi B. M. Ducis Sax. Julia, Clivia ac Montium, Sacri Rom. Imperii Archimarschalli & Electoris &c. de Anno 1637. mens. Aug.* Actori simpliciter denegata sit cumulatio ista actionis ad æstimationem & palinodiam.

*Thef. 13.*

Criminaliter agitur verò, quandò pœna arbitrio Judicis relinquitur, qui pro delicti qualitate pœnam illam vel, si pecuniaria, fisco applicat, vel, si corporalis, corpori infert, vel etiam in incarcerationem commutat. Hanc verò corporalem pœnam Judicem usque ad

ad mortem extendere posse testatur *Dn. Carpz. part. 4. Const. 44. def. 1.* quæ tamen à Judice facile mitigari solet. *Idem loc. cit. def. 2.* Quæstio verò moveri possit, an injuriatus simul ad palinodiam & sic civiliter, & ad pœnam arbitrariam & sic criminaliter agere possit? Et omninò affirmamus cum *Dno. Carp. p. 4. c. 42. def. 2. Dn. Habn ad Wesemb. b. tit. n. 18. in m.* & aliis Jctis, quod etiam de jure *Nov. Elect. loc. cit.* procedit per verba expressa. Darüber aber und darneben soll auch solcher muthwilliger Schänder und injuriant willkührlich mit einer hohen Geldbus mit Gefängniß / oder mit zeitlicher Verweisung bestrafft / oder auch nach Gelegenheit der Person / Zeit oder Orter und anderer Umstände mit Staupenschlägen des Landes ewig verwiesen werden.

*Thef. 14.*

Dictum autem est supra in *thef. u.* quod ex omni injuria verbali præsertim dicta possit agi vel civiliter vel criminaliter, quia non ex omni pasquillo potest agi saltem ad palinodiam & sic civiliter tantum; sapissimè enim graviolem pœnam ejusmodi injuria meretur, præsertim quando majus delictum objicitur, quam ut reus palinodià defungi possit. *Annotante Anton. Matthæi de crim. hic cap. 4. n. 2.*

*Thef. 15.*

Datur etiam injuriato contra injuriantem actio ex *l. diffamari C. de ingenuis manumissis*, quæ eò tendit, ut diffamanti ad agendum & probandum injurias certus præfigatur terminus, aut, si non agat, imponatur silentium. *Contardus ad d. l. cap. 5. n. 3.* Hæc verò actio in uno libello cum injuriarum actione cumulari haud potest, siquidem 1. Quando agitur ex *l. diffamari*, petitur, ut injurianti vices actoris demandentur ad probandas injurias, quando verò injuriarum agitur tunc

C

in-

injuriatus est actor, & hac ratione in uno libello injurians & injuriatus quisque reus & actor simul fieret. 2. Si injurians & injuriatus diversos haberent Judices competentes metuenda esse commixtio Judiciorum, cum in actione injuriarum injuriatus sequi debeat forum injuriantis, quando verò injuriatus actione *l. diffamari* cogitur ut agat, sequi debet forum injuriati.

*Thef. 16.*

Exposita injuriarum actione paucis considerandum venit aliud remedium. Et moribus quidem, introducta est Retorsio, quod in favorem injuriati factum esse videtur, quia eà ratione actio injuriarum, *Dn. Carpz. p. 4. c. 46. d. 10.* & sic maximi saepe sumptus effugi possunt, quibus multos ad incitas redactos esse cotidiana testatur experientia. Fit autem retorsio vel quando injurians mendacii arguitur, quod sæpissimè fieri solet, si præsens à præsentis injurià afficitur (utrum autem addi possit *du leuchst es als ein Schelm* hinc inde apud Auctores videre licet) vel quando quis injurias sibi illatas injurianti rursus obtrudit dicens, quod injuriantem tam diu. E. g. ut furem, æstimet donec probet se (injuriatum) furtum perpetrasse, (hoc plerumq; accidit mediante scripturâ, cum sc. absens injuriâ affectus fuerit) Et quæ sunt alia requisita, quæ videri possunt apud *Volkmannum in Notariat Buch* ubi de retorsionibus agit & retorquendi formulam apponit. An verò contra paquillum, præsertim cum Autor incertus est, locum habeat retorsio, vix affirmare auserim, cum retorsio contra certam personam in individuo directa esse debeat, annotante *Dn. Carpz. p. 4. c. 44. d. 5.*

*Thef. 17.*

Restat demum ut breviter explicetur, quemadmodum tollatur actio injuriarum verbalium. Tollitur autem variis modis 1. Præscriptione *l. 5. C. de Injur. & quidem*

quidem spacio anni utilis, qui currere incipit à scienti à injuriati secundum *Gail. 2. obsf. 105. Dn. Carpz. p. 4. c. 46. d. 2. Dn. Habn. ad Wesemb. hoc tit. n. 13. & alios*. Quia 1. ubi Prætor de præscriptione loquitur tempus utile intelligit *Dn. Habn. loc. cit. 2.* Præscriptio ideò introducta est ut negligentia agendi puniatur, nunc verò in nesciente injurias sibi esse illatas non potest esse negligentia agendi, unde & præscriptio hoc loco locum habere non potest, quod etiam comprobavit *Serenissimus Elector Sax. Augustus in Novellis suis p. 4. Const. 46. per verba. Dasi die Verjährung von der Zeit an / als der injuriatus solche injurien erfahren und zu wissen bekommen hat / gerechnet und zu lauffen angefangen werde.* Distinguit tamen & excludit expressè hæc nostra, constituit: paquillum, cujus actionem dicit esse perpetuam, quod & facere videtur *l. unica C. de fam. lib.* quia jus Civ. hoc loco dicitur pœnam, actiones verò ex jure Civ. provenientes sunt perpetuæ. Nuda autem ignorantie allegatio non sufficit, sed injuriatus si eam aliter probare non poterit, jurare debet, uti vult *Dn. Habn. loc. cit. Schultz. loc. cit. lit. i. & Gail. 2. obsf. 105.* Qui etiam ita in Cam. Imp. pronunciatum meminit.

2. Remissione, vel expressâ vel tacitâ seu præsumptâ. Expressâ quidem vel gratis, quando injuriatus injuriantî dicit, remitto tibi injurias mihi illatas, vel interveniente transactione. *l. non solum §. i. versf. proinde & l. 17. §. 6. ff. b. tit.* Tacitâ verò seu præsumptâ mediante dissimulatione & actionibus familiaribus, quando injuriatus proprio motu cum injuriante bibit, edit, aut aliis modis cum eo familiariter vivit. *§. ult. f. b. tit. l. non solum §. injur. ff. b. tit.*

3. Morte, cum injuriantis tum injuriati *§. i. f. de perp. & temp. act. l. 15. §. 14. ff. b. tit.* ante tamen litem contestatam *l. 13. pr. ff. Eod.*

SOLI DEO GLORIA.

4085  
Qua reprimant poena solida convitia lingua  
leges, ex juris sedulus arte refers.  
Pergito virtuti studiusq; incumbere: famam  
non laedet figens spicula dente nigro.

Ita εὐφραμί, & felices in scientiâ juris  
progressus precatur

Præstantis. Dn. Respondenti amico  
suo dilecto

PRÆSES.

**I**N verbis iusti quæ sit violatio monstras  
Gasteli, Juris, perge, Magister eris.

*Paucis hisce Eximio Dn. Respondenti Amico &  
consalino suo per dilecto de egregio hoc speci-  
mine ἐκ τῆς παρασημα gratul.*

*Erhardus VVeigelius M. Mathem. Prof. P.  
Alumn. Inspector.*

**C**onciliat mentes, & amico fœdere jungit,  
In blandas quotiens se laxat lingua loquelas.  
Illa eadem tetro quando inflammata veneno est,  
Gutturæq; eructat malè sano injuria verba,  
Exsurgunt rixæ, ac trepido stant cuncta tumultu.  
Ac ni continuo medicas adhibere pararet  
Judex rite manus, diro discordia telo  
Saviat, & turpi pessumdet cuncta ruina.  
Hos linguæ infaustos sonitus ut sopiat alma  
Justitia, & qualis convicia poena sequatur  
Dum doctè tradis, *Gasteli*, in fausta resolvit  
Omina gratantum se lingua, ac præmia quondam  
Pro tam laudatis ausis ingentia spondet.

L. M. Q

*scribeb.*  
*Samuel Pusendörffer / Philos. Mag.*

F I N I S.

ULB Halle


3

005 125 669



1077









DEO TER-OPT: TER-MAX: SECUNDANTE  
ET

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, CONSULTIS.

SIMO<sup>q</sup> JCTORUM ORDINE IN ILLUSTRISALANA CONCEDENTE

Disputationem Juridicam

DE

# INJURIIS VERBALIBUS

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSUL-  
TISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI

DN. GEORGII ADAMI Struben/  
JCTI ET ANTECESSORIS IN HAC ACA-  
DEMIA CELEBERRIMI, CONSILIARII SAX: DI-  
CASTERII PROVINC: SCABINATUS<sup>q</sup>; ASSESSO-  
RIS GRAVISSIMI, & p. t. FAC: JUR: DECANI, PATRONI  
AC PRÆCEPTORIS SUI ÆTATEM  
COLENDI

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

ad d. Septemb.

H. Lq; C.

Johann Georg Gastell Franckenbergâ Misn:  
Autor & Resp.

J E N E,  
Typis SAMUELIS KREBSII,  
ANNO M DC LVII.